



**R. P. Ildephonsi Peñafiel E' Societate Jesu, Quondam In
Cusquensi Collegio Sacrae Theologiae Primarij
Antecessoris ... Theologia Scholastica Naturalis**

Peñafiel, Alonso

Lugduni, M.DC.LXXIIX.

§. Nostra sententia variis conclusionibus affirmativis declaratur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95871](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95871)

eadem inter se: sed paternitas, & filiatio sunt eadem realiter vni tertio, videlicet diuinæ naturæ: ergo paternitas, & filiatio sunt eadem realiter inter se; conclusio enim hæretica est: ergo nec semper falsificatur in diuinis, nec semper verificatur: ergo ad verificationem, vel falsificationem cognoscendam, non est recurrendum ad infinitatem, quia in diuinis semper datur infinitudo, & nihilominus in diuinis non semper verificatur, aut falsificatur.

S.

Nostre sententia variis conclusionibus affirmatiuis declaratur.

Prima conclusio; hoc principium, quæ sunt eadem vni tertio non est fundamentum syllogismi, cuius medium est terminus communis. Primo, quia quotiescumque aliquid est verum principium formæ syllogisticæ, forma syllogistica semper recte concludit ex vi illius principij, & ratio est à priori; quia forma syllogistica abstrahit à materia, & consequenter abstrahit à Deo, & à creaturis, quapropter ex vi formæ, aut in nolla materia valebit ars syllogistica, aut si valet ex vi formæ in aliqua materia, necessarium est in omni materia valere; quoniam forma semper in omni materia est eadem: atqui forma syllogistica regulata illo principio, quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se, quando syllogismus habet pro medio terminum communem, non verificatur, sed falsificatur, vt videre est in exemplo posito de Trinitate, vbi relationes identificantur cum diuinitate, & non identificantur realiter inter se; & ratio est, quia Deus, vel diuinitas, cum qua identificantur relationes, & quæ sumitur pro medio, licet sit quædam res singularis, & indiuidua, nihilominus tamen secundum fidem catholicam est realiter communicabilis; nam propter realem communicabilitatem, & fecunditatem æquiualeat naturæ communi & vniuersali: ergo talis syllogismus si regulatur illo principio, quæ sunt eadem vni tertio &c. vt regulatur de facto falsificabitur; quia syllogismus, qui regulatur illo principio, debet habere pro medio terminum non communem, & vniuersalem: sed omnino singularem; vnde cum in hoc syllogismo sumatur pro medio quædam realitas, quæ vere communicabilis est, consequentia in illa ex vi talis principij non est bona, non quia forma syllogistica ibi deficiat & non concludat: sed potius quia non seruatur, neque applicatur forma syllogistica quoad rem ipsam, sed quoad vocem tantum, & quia syllogismus non regulatur proprio principio, sed alieno; qui si regularetur proprio, rectus esset. Nec potest dici, formam syllogisticam deficere in diuinis, quia infinitudo datur; quia hoc modo loquendi ignorantia Logicæ, ac Theologiæ indicatur; quia qui ita loquuntur, sine dubio viam obstruunt vniuersis ratiocinationibus Theologicis, quibus aliquid demonstratur, siue circa diuina attributa ex principiis naturalibus, siue ex principiis supernaturalibus circa diuinas personas earumque substantiam, aut circa prædestinationem, aut reprobationem; ideoque Catholicis volentibus aliquid probare hæretici pro libito responderent discursum, & omnem illationem non valere, quantumcumque seruauerit omnes regulas syllogismorum, propte-

reaque nullum errorem catholici poterunt ex principiis fidei conuincere.

Tandem efficaciter, quia Deus ipse est principium, & auctor cuiuscumque scientiæ naturalis, etiam syllogisticæ, sicut est auctor cuiuslibet veritatis secundum illud Iacobi [omne datum optimum, & omne donum perfectum descendens est à Patre luminum.] Cum autem quæcumque scientia sit lumen creatum, & participatum, debet participari à lumine increato Dei, & non debet opponi cum illo: ergo non potest ipse Deus terminus, & vnus alicui scientiæ, nec alicui naturali veritati repugnare; quod expresse docent Ambrosius 1. Corinthior. 12. ad illud; nemo potest dicere Dominus Iesus, nisi in Spiritu sancto. Augustinus lib. 2. de sermone Domini in monte, cap. 15. & soliloquior. lib. 1. cap. 6. Iustinus in Dialogo cum Triphone paulo post medium, Clemens Alexand. lib. 6. Stromat. foliæ penultimo, & ultimo: ergo forma syllogistica integra, & formaliter seruata bene suis principiis regulata non falsificatur in diuinis: ergo quando falsificatur, non est quia Deo repugnat talis forma, sed potius, quia non applicantur principia vniuersaliusque syllogismi propria.

Secundo, Probat principaliter conclusio; quia in creatis hic syllogismus non est rectus, Petrus est homo, Ioannes est homo: ergo Petrus est Ioannes, quia syllogismus regulatur principio, quæ sunt eadem vni tertio, vbi medium est terminus communis, & syllogismus, vbi talis terminus est medium non regulatur principio illo, quæ sunt eadem vni tertio: sed potius principijs, dici de omni, & dici de nullo; cum his tamen conditionibus, vt medium recte distribuatur, & cætera, de quibus iam in Summulis diximus. quæ conditiones si non seruentur, non fit rectus syllogismus, ratione cuius male conficitur hic nuper dictus, quia in illo distributio non est plena, atque perfecta, quod modus arguendi requirit, quare si recte faciendus sit in illo medium homo, quia per rationem est communis Petro, & Paulo Ioannis &c. debet ita distribui, vt supponatur pro Petro, Paulo, & cæteris. Aliiter autem facta, quia violantur leges, & conditiones.

Præterea, quia syllogismus in prima figura factus, in quibus medium est terminus communis non conueniunt ea, quæ petit principium ad sui veritatem, quia in his medium non est realiter vnum & idem, & multo minus est vnum secundum rationem cum suis extremis; exemplum sit hic syllogismus; omne animal est corpus, omnis homo est animal: ergo omnis homo est corpus; vbi animal quod est medium non est realiter vna entitas, siquidem complectitur realitates omnium animalium: Ergo tales syllogismi non regulantur principio illo, quæcumque sunt eadem vni tertio.

Confirmatur; quoniam Aristoteles 1. Priorum cap. 4. & sequentibus, & toto lib. 8. Priorum, vbi ex professo tradit syllogisticam artem, nunquam vtitur hoc principio, quæcumque sunt eadem vni tertio &c. sed nititur semper illi fundamento, dici de omni, & dici de nullo, & quamvis ad hanc vniuersalitatem affirmationis, aut negationis conentur aliqui reducere principium illud, quæcumque sunt eadem vni tertio &c. videntur tamen reduci, & tamen vis illationis sumitur ex distributa, & vniuersali affirmatione, seu

seu negatione, quæ significatur per Dici de omni.

P. Ruiz, P. Molina, & alij ad probandum hoc ipsum sic arguunt, imo quandoque extrema realiter distinguuntur à medio ut in hoc syllogismo, omne calidum calefacit, hoc ferrum est calidum: ergo hoc ferrum calefacit, ubi calefacere, cum sit actio transiens realiter distinguitur à calido, & similiter calor realiter distinguitur à ferro.

Sed hæc impugnatio falsa est, quia calefactio ut verè prædicetur de calido in tali medio, debet sumi concretivè, & non abstractivè, & ideo verba adiectiva quando prædicantur, ut prædicatio sit vera, & non falsa, exponitur per nomen concretum participiale; v. g. Petrus currit; ergo Petrus est currens: ergo quando dicitur omne calidum calefacit, non prædicatur ibi calefactio in abstracto, sed in concreto; v. g. omne calidum est calefaciens, sed ferrum est calefaciens: ergo ferrum est calidum; in concreto autem calefaciens, non distinguitur realiter à prædicato, alias non prædicaretur per verbum substantivum, est, quod significat identitatem inter utrumque; ut videre est in his prædicationibus; v. g. calidum est calefacere, aut calefactio, ubi quia copula est verbum substantivum, quod significat identitatem inter prædicatum & subiectum; & calefactio, seu calefacere distinguitur realiter à subiecto est falsa talis prædicatio: sed hæc prædicatio, calidum calefacit, seu est calefaciens habet pro copula verbum substantivum & est vera: ergo prædicatum est idem cum subiecto: ergo falsa est oppugnatio horum auctorum; efficaces autem sunt, quas nuper posuimus, quibus efficaciter probatur, syllogismum habentem pro medio terminum communem non regulari principio illo, quæ sunt eadem vni tertio &c.

Secunda conclusio; syllogismus, cuius medium est terminus communis fundatur in principio illo dici de omni, & dici de nullo; quia fundatur in perfecta medij distributione, quam significavit Aristoteles per talia principia; & hæc etiam forma verè applicata in mysterio Trinitatis locum habet, observando eandem rem singularem propter realem communicabilitatem æquivalere naturæ communi, & ideo ex hac parte addendam esse distributionem, ut forma servetur rectè regulata cum principiis illis. Si autem aliter fiat hoc, vitiosa erit syllogizatio, quia non exercetur secundum id, quod petunt principia, quibus regulari deberet, ad hoc ut rectè procederet forma, & figura talis syllogismi, & propterea hæc consequutio [essentia non generat, Pater est essentia: ergo Pater non generat] non valet quia medium commune est, & non est distributum; esset autem bona illatio, si diceretur; [nulla res, quæ est essentia generat, Pater est res, quæ est essentia: ergo Pater non generat.] Tamen sicut consequens est falsum, ita & maior pars antecedentis, & per hæc facile est iudicare de aliis.

Tertia conclusio; principium illud, quæcumque sunt eadem vni tertio, est fundamentum syllogismi expositiorij, videlicet cuius medium est terminus non communicabilis; Itaque principium illud intelligendum est de identitate cum aliquo tertio, incommunicabili; seu quod non est commune, & vniuersale, aut formaliter, aut æquivalenter, quo pacto intellectum est vni-

uersum verum; tam de identitate reali, quam formali, & tam in rebus creatis, quam in increatis, unde (ut optime notat P. Molina, cum quo explico hanc conclusionem) intellectum generaliter de quocumque indiuiduo, siue illud communicabile sit multis, siue non, est principium, seu dographum, non secus atque hoc mathematicum. [Omnes lineæ deductæ ab eodem puncto ad idem punctum sunt æquales,] si intelligatur tam de rectis, quam de obliquis, ut patet, quia corda, & arcus sunt lineæ deductæ ab eodem puncto in idem punctum, & sunt inæquales. Probatur conclusio in hoc syllogismo; filius est secunda persona Trinitatis: sed Verbum est filius: ergo Verbum est secunda persona Trinitatis: ecce syllogismus expositiorius, in quo medium est filius, & filius non est communis, nec formaliter nec æquivalenter respectu secundæ personæ, & Verbi, sed tam in re, quam in munere est omnino singulare, & ideo non æquivaleret vniuersali, neque superiori, aut latius patenti; & quia regulatur principio, quæcumque sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se; in creatis autem etiam valet, quia hoc indiuiduum est substantia, sed Petrus est hoc indiuiduum: ergo Petrus est substantia, ubi syllogismus rectè concludit, & fundatur in supradicto principio; quia autem regulatur ab illo secundum conditiones, quas petit principium, ideo rectè procedit: ergo tam in creatis, quam in increatis verificatur principium rectè applicatum.

Hinc poteris observare discrimen, quod reperitur inter hos duos syllogismos quorum vnus falsatur in consequentia, alter autem verificatur, & nihilominus in vtroque sumitur eadem divinitas pro medio; syllogismi sunt, Paternitas est essentia divina, filiatio est essentia divina: ergo filiatio est paternitas; secundus syllogismus est, iustitia est essentia divina, misericordia est essentia divina: ergo misericordia est iustitia. Ratio manifesta discriminis est, quia licet eadem essentia divina sumatur pro medio in vtroque syllogismo, nihilominus in syllogismo Trinitatis est terminus communis realiter, & realiter communicabilis, quapropter etiam si singularis entitas sit, æquivaleret vniuersali formali, quia communicatur ratione fecunditatis divinæ pluribus non convertibilibus cum divinitate; unde divinitas respectu Patris, Filij, & Spiritus sancti, & respectu relationum ita se habet in munere, sicut terminus vniuersalis formalis ratione æquivalentiæ ad illum; unde sicut homo ita prædicatur de Petro, ut non convertatur cum illo in prædicatione, & ideo est verum est Petrus & est homo; non autem valet; est homo: ergo est Petrus, quia homo latius patet formaliter, quam Petrus, sic similiter est verum dicere in divinis; est Pater: ergo est Deus; non autem bene valet; est Deus: ergo Pater; quia Spiritus sanctus non est Pater, & est Deus; sicut filius est verè Deus, & non est Pater, ecce quomodo Deus respectu trium personarum, & relationum non est terminus incommunicabilis, sed potius communicabilis; quapropter syllogismus, ubi ponitur pro medio Deus, divina essentia, seu natura divina respectu trium diuinarum personarum non est expositiorius, ac proinde cum regulatur, aut intenditur regulari cum tali principio, quæ sunt eadem vni tertio, falsificatur; alter autem syllogismus de Deo respectu attributorum est verè expositiorius;

expositorius; quia Deus respectu attributorum est res singularis omnino cum aequalitate respectu attributorum; unde neque latius patet Deus quam iustitia, neque iustitia minus patet quam Deus, & idem est de misericordia, & reliquis attributis absolutis; unde bene valet ad conuertentiam, est Deus: ergo iustitia diuina; est iustitia diuina: ergo Deus. Item est misericordia: ergo Deus &c.

Ratio est manifesta, tum quia nulla essentia est vniuersalis, aut communis respectu suorum attributorum, sed potius est aequalis cum illis; quod videre licet in vniuersalissimo omnium conceptu, ente nimirum, quod licet sit superius, & commune respectu huius, & illius entis, cum quibus non conuertitur in consequentia; nihilominus tamen respectu suorum attributorum non dicitur commune, superius, & vniuersale: sed potius aequale, & ratio evidens est, quia conuertuntur in consequentia, est ens: ergo bonum; est bonum: ergo ens &c. & ideo non potest aliquis cum veritate affirmare, ens latius patere, quam aliquod attributum illius; atqui iustitia, & misericordia, & reliqua absoluta sunt attributa adaequata Dei aequalia illi, conuertibilia in consequentia cum ipso, respectu quorum non patet latius Deus: ergo Deus respectu illorum non est terminus communis, nec se potest habere per modum superioris, & vniuersalis, & per consequens nec ut communicabilis realiter, quia omnis communicabilitas realis diuinæ naturæ est in ordine ad productionem realem vnius respectu alterius; cum autem talis productio non exercetur respectu attributorum, sed potius respectu personarum, inde est quod Deus non sit terminus communicabilis respectu attributorum, sed potius respectu personarum: ergo Deus respectu attributorum, & quatenus est medium, quod identificatur cum illis est omnino incommunicabilis, & singularis, & nullo modo communis, quapropter syllogismus, in quo sumitur pro medio identitas attributorum cum Deo ad eliciendum in conclusione identitatem attributorum inter se erit expositivus in toto rigore, & sic bene regulatus cum principio, quæcumque sunt &c. & sic consequentia est recta, & vera, ratione cuius in alio syllogismo Trinitatis consequentia est falsa; quia cum non sit expositivus, non regulatur cum proprio principio, sed cum alieno, non applicando conditiones talis principij. Explicatur hoc.

Nam quemadmodum ex identitate reali creata duorum, cum aliquo tertio communi, ut Socratis, & Platonis cum homine non sequitur identitas illorum inter se, eo quod tertium illud non est aequale, nec omnino singulare respectu illorum extremorum, sed potius est commune, & latius patens illis, non sequitur identitas in conclusione; ita ex identitate reali, aut formali increata & diuina aliquorum duorum cum aliquo singulari communi multis communitate reali non conuertibili in consequentia cum extremis, non sequitur identitas realis, aut formalis illorum inter se, quia illud tertium non est incommunicabile, sed potius communicabile; ut enim non sequatur identitas realis, aut formalis duorum incommunicabilium inter se ex eorundem identitate cum aliquo tertio, perinde est tertium illud commune esse communitate reali, ac communitate solum rationis, cum eadem ratio formalis

concurrat in vno, ac in altero: respectu syllogismi; quare sicut hæc consequentia nulla est, Socrates est idem re cum homine, Plato est idem re cum homine: ergo Plato est idem re cum Socrate; ita hæc consequentia est nulla, Pater, seu Paternitas est idem cum essentia diuina; Filius, seu filiatio est idem cum eadem essentia diuina: ergo sunt idem inter se.

Ex hoc principio sic intellecto, sumptaque identitate latius, quam satis est, ut prædicatum verè tribuatur subiecto (forma namque re, & ratione formali distincta à subiecto verè illi tribuitur significata in concreto, eo quod habeat proportionatam identitatem cum illoratione subiecti, quod præcipue significatur in concreto accidentaliter) vim habent syllogismi expositivis, solum enim valent, quando idem numero non est communicatum multis, vel suppositis, vel subiectis, quæ de se inuicem non prædicantur, ut regulariter non solet esse communicatum, quod si idem numero sit multis, vel suppositis, vel subiectis communicatum, non valet consequentia; unde si Deus de potentia absoluta collocaret simul eandem numero albedinem in Petro, & Paulo (quod naturæ lumen indicat non inuolueret contradictionem) hæc consequentia nulla esset, Socrates est hoc album, Plato est hoc album: ergo Plato est Socrates, quia iam medium non est idem numero singulare, cum ibi album non supponat pro albedine, sed pro subiecto, & subiecta sunt distincta realiter etiam si albedo sit eadem, quia ut dixi, concretum accidentale præcipue significat subiectum, secundario formam.

Quibus clarè manet explicatum principium, quod si applicetur eo modo quo diximus, semper suam veritatem retinebit, siue in diuinis, siue in humanis, quapropter falsissima est illorum tententia, qui dicunt eo ipso, quod applicetur in diuinis falsificari; quod tum ratione, tum exemplis manifestis demonstratum est esse falsum.

Quodlibet, vel est vel non est, de hoc principio latè egi in Logica, tractatu de principiis, disput. ultima, nihilominus breuiter sic est declarandum nunc, ubi aduerte, ly quodlibet non significare in particulari aliquid reale, sed quodcumque obiectum, quod voce profertur, aut apprehenditur mente, ut si quis hæc verba profert; Deus, mons aureus, de Deo verum est asserere; Deus est, vel non est, & sic de significato cuiusque vocis ly est, dicit aptitudinem ad existendum, aptarique potest, tam existentia actuali, quam in potentia; quod primum principium adeo est per se notum, ut præclaritate sit obscurum; explicatur, continet enim terminos clarissimos, quos aliis clarioribus explanare non possumus, nam dum res est, sine dubio est, & habet esse, tunc autem non caret esse, nec definit esse; dum vero res non est, neque habet esse, tunc autem non potest dici esse, neque habere esse, quia componi non possunt esse simul, & non esse eiusdem rei eisdem circumstantiis &c. quia esse, & non esse conuertibiliter destruuntur; unde evidentia metaphysica, quæ in hoc principio fundatur, dicitur quando obiectum tam clarè conspicitur, ut omnino repugnet aliter fieri, ut per manifestam consequentiam sequitur ratione huius principij, quodlibet est, vel non est; evidentia hæc superat aliam quamcumque evidentiam; quia obiectum necessarium, si sic proponitur,

ponitur, est aptius ad maiorem euidentiā actus; quis enim neget hoc principium, quodlibet est, vel non est, esse multo clarius, & infallibilius cognosci, quam hoc. Angelus est substantia completa; ratio est, quia sicut res materiales diuersis luminibus offunduntur, quorum vnum est maius alio; sic intellectus lucēs habet diuersas, quarum vna maior est aliis.

Quando sunt duo agentia, quorum vnum est fortius, & alterum debilius, fortius citius producit suum effectum quam debilius. Ita Aristoteles 2. de generat. text. 22. explicat hoc Venerabilis Beda his verbis: [verum est de agentibus per abiectionem contrarij, quia vbi est contrarietas ibi est resistentia, & vbi est resistentia, ibi est successio, vt dicit Commentator in 4. Physic. comment. 71. fallit autem in agentibus sine contrarij abiectione, sicut patet in duobus corporibus luminosis, quorum vnum sit intentius altero; vtrumque enim in instanti illuminat, licet lumen productum à potentiori sit intentius lumine productum à debiliore.

Quæcumque differunt plusquam numero, differunt specie; ita Aristoteles 5. metaphys. Respondetur, quod Philosophus vult, quod quæcumque differunt plusquam numero essentialiter, ita differunt specie, & sic non oportet quod vir, & mulier differant specie; sicut nec Petrus albus & Ioannes niger differunt specie, quia solum differunt accidentaliter.

Quæcumque sunt eiusdem speciei, quidquid vni conuenit, conuenit & reliquis; sic Aristoteles 2. metaphys. text. 2. intelligitur essentialiter, vel de prædicatis essentialibus; similiter de propriis accidentibus, de aliis enim multum falli.

R

Relatiua sunt simul natura in prædicamentis. Ita Aristoteles ibidem, vbi aduertendum duo esse necessaria, vt aliqua sint simul natura; vnum quod mutua sit ab vno ad alterum consequentia quantum ad eorum existentiam, alterum vt neutrum sit causa alterius; defectu prioris superius, & inferius non sunt simul natura; quia & si valeat, homo est: ergo animal est, non tamen valet: animal est: ergo homo est. defectu posterioris sol, & lux non sunt simul natura; quia sol est causa lucis; vtrumque autem habent correlatiua, quorum vnum non refertur ad aliud formaliter: valet enim consequentia mutua ab vno ad alterum, & vnum alterius non est causa, quæ tamen duæ conditiones in eis verificantur quatenus relatiua sunt siue secundum ipsam formam relationis, non autem secundum fundamentum, & subiectum relationis; homo enim ille, qui est Pater, vtique prior est homine, qui est ipsius filius, & est causa eius, attamen quatenus Pater non est prior filio, nec magis dependet secundum hanc relationem ab eo filius, quam ipse à filio; vnde vel neutrum est causa alterius vt communiter dicunt Doctores, vel sunt sibi inuicem causa vt dicit Simplicius cum Archita.

Res naturales, & artificiales sunt distinctæ, quia res naturales secundum substantiam dicuntur tales, artificiales autem secundum formam accidentalem; ita Aristoteles 2. Physicor. Ratio est; quia ars formam accidentalem introducit in subiectum completum; natura autem formam substantialem producit.

Semper in vno genere est contrarietas. Ita Philosophus 1. Physicor. text. 56. verum est de contrarietate secundum esse, & non esse, id est secundum priuationem, & habitum; nam in omni genere est vna contrarietas, scilicet priuatio, & forma, vel secundum contrarias differentias conuidentes illud genus.

Sola species habet proprium, per Porphyrium intelligitur, quod proprium magis attribuitur speciei, quam alteri; quia proprium strictè sumptum dimanat ab essentia rei, id est specie, vel dicitur quod ipse capit speciem communiter pro quolibet subiecto communi.

Solius est metaphysicæ de quidditatibus omnium rerum considerare; ita Aristoteles 6. metaphys. Respondetur verum esse in communi, aut in particulari sub ratione formali metaphysicæ; quia Philosophia contemplatur hominem, terram, & alia id genus, quidditatiuè quidem sub propriis principiis, & ratione formali.

Sola metaphysica est scientia communis. Ita Aristoteles 1. metaphys. explicat hoc D. Thomas his verbis. Respondetur, quod Philosophus ibi considerat scientiam esse communem ratione principiorum, vel obiectorum, & sic respectu aliarum scientiarum; metaphysica vtique est communis; quia considerat communiora, ac proinde superiori quodammodo declarat, confirmat, & corroborat principia aliarum scientiarum, vt supra diximus.

Sicut se habet simpliciter ad simpliciter, ita se habet magis ad magis, ita Aristoteles 2. metaphys. intelligitur ita vt quando aliquid non pertinet simpliciter ad aliquod genus, nec maior perfectio illius pertineat ad maiorem perfectionem illius generis; vt v.g. tempus, si non est pars durationis simpliciter, nec maius tempus erit pars maioris durationis; si autem è contra tempus fuerit pars durationis simpliciter, etiam maius tempus erit pars maioris durationis; & quia quantitas, nullas partes substantiæ tribuit; maior quantitas non potest maiores partes tribuere substantiæ; vnde quia vnio non constituit qualitatem, nec maior vnio potest constituere maiorem qualitatem, id est magis intensam, vt latè probauimus libris de generat.

T

Triplex est substantia tantum; scilicet forma, materia, & totum compositum; ita Aristoteles 2. de anima. & 8. metaphys. hic loquitur Aristoteles, vt inquit D. Thomas, de ente essentialiter composito, substantiali, vbi tantum tres realitates simpliciter reperiuntur, & vnus modus, realitates sunt materia & forma, quæ componunt totum, & in illo includuntur, & ipsum totum, quod includit ipsas; quia ab ipsis essentialiter componitur; modus autem est vnio, media qua forma, & materia componunt compositum.

Totum non cognoscitur ignoratis partibus quibus constat; ita Aristoteles 1. Physicor. text. 35. Ratio est; quia sicut se res habet ad esse, ita ad cognosci, ex partibus autem resultat esse totius; si igitur fuerit totum essentialiter, & secundum qualitates, vt ait Auerroes debent fieri partes eius essentielles, vt materia & forma; sin autem fuerit totum secundum qualitatem, debent fieri partes eius

eius non communicantes, id est, quæ situ distinctæ, ac separatae sunt, & una est extra aliam; unde Aristoteles 2. *Physicæ*, sic ait; totum sapit naturam suarum partium.

Totum, & perfectum sunt penitus idem; ita Aristoteles 2. *Physicæ* & 4. *Metaphysicæ*. intelligitur, inquit D. Thomas, quando totum capitur categorematice, & non quando capitur syncategorematicè, hoc est quando sumitur pro re numeris omnibus absoluta, & cum omni perfectione sibi debita secundum illud axioma D. Dionysii, bonum, id est, perfectum ex integra causa, malum autem ex quocumque defectu.

V

Vniuersale, aut nihil est, aut posterius est; ita Aristoteles 2. *de anima*: optimè explicat D. Thomas ibidem, *lect.* 2. intelligitur, uniuersale in essendo secundum imaginationem Platonis; nihil est; quia omne quod à parte rei est, singulare est, ut autem importat conceptum, communem vnius rei ad alias sic posterius est rebus singularibus, à quibus abstrahitur; cum enim multa individua considerantur ab intellectu, quatenus similia in natura humana, non diuisibili, & variabili per aliquas differentias essentielles, & accidentales, mox istam considerationem consequitur ratio uniuersalis respectu naturæ humanæ, nempe ratio speciei: Nempe sicut si quis vertat faciem ad speculum, naturaliter ibi eius

species apparet, ita rem obiectivè dicto modo existentem in intellectu naturaliter consequitur aliqua talis proprietas intentionalis, vel aliquod eiusmodi ens rationis, genus, species, &c.

Vni vnum dicitur esse contrarium; sic Aristoteles 10. *Metaphysicæ*. text. 24. Respondet Alexander dicendo; quod quando hoc sumitur simpliciter, sic vni vnum est contrarium; sed quando non intelligitur simpliciter, non in conuenit vni, plura esse contraria; nam aliquid secundum aliud & aliud, licet numero sit idem, potest plura habere contraria; nam eadem nix numero alba, & frigida est, & habet calorem, & nigredinem opposita sibi. D. Thomas intelligit de oppositione immediata & maxima, scilicet de oppositione contradictoria, tunc autem vni vnum solum est oppositum immediatum, scilicet contradictorium; unde homo solum habet vnum oppositum scilicet non hominem, sicut Deus non Deum; quod ex ipsis terminis patet.

Vnus est tantum Princeps rerum; ita Aristoteles 12. *Metaphysicæ*. ubi demonstrat, dari solum vnum Deum, & concludit Philosophus post demonstrationem non valet pluralitas principum; sit ergo vnus princeps, vnus primus motor, vna causa prima: sed secundum fidem sic intelligitur; vnus est tantum Princeps, id est vnus Deus singularis in essentia, & trinus in personis; Rex Regum, & Dominus dominantium, à quo omnia bona fluxerunt, qui sit benedictus in sæcula sæculorum Amen.



INDEX